



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXIII. De temperantia Christiana, & fructibus quos producit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

nes huius temporis, etiam ipsius vitæ Roman.
 profusio ad futuram gloriam, quæ reue-
 labitur in nobis. Diabolo conanti Ma-
 nanimitatem nostram deiicere, res-
 pondeamus, Deum in promissis præ-
 standis fidelem esse, eumq; per quendam
 suum Apostolum promississe, quod
 Deus non patietur nos tentari ultra
 id quod possumus; *sed faciet etiam cum* 1. Cor. 10.
tentatione prouentum, ut possitis sustine-
re, inquit Paulus. Denique crucifixi
 imaginem manu teneamus, in hoc
 speculo quid Christus pro nobis per-
 tulerit videamus, & sine dubio nihil
 erit, quod ob eius amorem patienter,
 & constanter non perferamus.

CAPVT VIGESIMVM
 TERTIVM.

De Temperantia Christiana, & fructi-
bus quos producit.

Quarta virtus cardinalis est Tem- *Vide D.*
 perantia, quæ duplex est; Genera- *Thom. 2.*
 lis, & specialis: Generalis reprimit af- *2. q. 141.*
 fectiones ab omni eo, quod nos aliquò *& seqq.*
 contra rectam rationem pellicit.

• M 5 Specia-

Specialis autem de qua hic agendum est, reprimit concupiscentias maximarum delectationum sensus, tam in actionibus exterioribus, quam in affectionibus interioribus.

*Species
Temperantia
tres.*

Cum autem tria sint ex quibus homo præcipuè delectationem sensu haurit, scilicet, Cibus, potus, & delectatio Venerea, Temperantia etiam tres species habet; videlicet, Abstinẽtiam, qua cibum; Sobrietatem, qua potum: Castitatem, qua delectationem carnis moderatur. Et pro his effectibus obtinendis Temperantia duas partes, actus suos quasi integrantes, sortitur: Pudorem nempe, seu Verecundiam, & Honestatem: Verecundia omnem turpitudinem aspernatur: Honestas autem omne indecens fugit. Habet præterea alias virtutes tanquam partes potentiales, quarum aliæ actiones exteriores refrænant; aliæ interiores affectus moderantur. Prima est continentia, quæ desideria sensus reprimit, maximè cum caro aduersus spiritum insurgit: secunda est Humilitas, qua animus firmatur, ne inordinatè ad ardua tendat: Tertia est Mansuetudo, qua

*Virtutes
adiunctæ
Temper.*

que appetitum vindictæ moderatur:
 Quarta est clementia, quæ exteriorem
 vindictam & punitionem temperat;
 atque ita gestus, motus, verba, habi-
 tumque dirigit, vt nihil ijs nimium
 infit. Hæc sunt species, partesque tem-
 perantiæ; hæc eius officia, effectaque.
 Vnicuique autem considerandum re-
 linquo, quam pulchra & honesta sit
 hæc virtus; quas utilitates & commo-
 da secum ferat.

Cum autem ex contrarijs contra-
 ria appareant, intueamur Intemperan-
 tiæ turpitudinem, & aliorum vitiorum,
 quæ magno post se ordine trahit ab-
 surditatem contemplemur. Itempe-
 rantia est vitium quoddam brutale, &
 plus quam puerile, magis hominem,
 quam vllum aliud vitium dehone-
 stans; ex hac enim tanquam vitiosissi-
 ma & putidissima cloaca procedit,
 Gula, Ebrietas, Luxuria, & earum so-
 ciæ: Huc spectant Incontinentia, Su-
 perbia, vindicta, & crudelitas. Necessi-
 se igitur est temperantiam pulcher-
 rimam & nobilissimam virtutem ef-
 se, quæ tam foetidum vitiorum

*De Intem-
perantiæ.*

*Effectus
temperan-
tiæ.*

M 6 agmen

agmen in fugam agit: Neque enim his limitibus, & proprio suo obiecto contenta, hic se sistit, verum etiam alijs virtutibus, si à cōtrarijs sibi vitijs, impugnentur, in auxilium accurrit. Intemperantia hominem pigrum & effeminatum reddit; Temperantia fortē & virilem facit: Intemperantia plurimas iniustitias parit; Temperantia easdem dissipat: Intemperantia Prudentiam, maximè in actionibus spiritualibus, impedit; Temperantia plurimum iuvat; Nam ut inquit Apostolus, *Animalis homo nō percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, spiritualis autem iudicat omnia.* Quis ergo Temperantiam singulare Dei donum, & virtutem vtilissimam, ac nobilissimam esse pernegabit? Qui hac virtute fulcitur, facile brutales suas passiones subiugabit, & moderabitur, ac in carne vitam angelicam aget.

1. Cor. 2.

*Infideles
non habent
Temperā
iam.*

Sed quis hic? num paganus aliquis, Iudæus aut hæreticus? Absit: Impossibile enim est, cum sint gratiæ incapaces, ijs tam hanc virtutem, quam Prudentiam, iustitiam, aut fortitudinem infundi: Et ipsi, seu dictis, seu factis satis ma-

tis ma-

tis manifestant quantum ab hac virtute absint. Hi enim sunt de quibus Apostolus inquit, *Inimici crucis Christi, quorum Deus venter est.* Illi sunt, qui liberrimè, vt Sancti Patres notarunt, voluptatibus carnis, gulæ, & ebrietatis fræna relaxant: Superbia quoq; elati crudelitate, ac inhumanitate efferrantur, vt Augustinus monuit; vnde mirum non est si à Domino, eiusque Apostolo lupi, & quidem lupi rapaces nominentur.

Ab sit ergo Temperantiam in his cloacis quæramus; alibi ea quærenda, & inuenienda est. Vbi autem aliter, quam inter Christianos, qui gratiam & charitatem susceperunt, reperiri posset? His eam Deus elargitus est; Hi Abstemiam, Sobrietatem, & castitatem colunt. In his verecundia, honestas, continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, & modestia relucet. Exemplis hæc probarem, & allatis Patrum testimonijs ac scripturarum oraculis confirmarem, nisi ad oculi intuitum & digiti tractum res pateret: Si tamen quispiam id non aduerterit, oculos suos tantummodo in vitas apo-

• M 7 stolo-

Phil. 3.

Tert. de

Præsc. c. 13.

Hieron. in

c. 6. Osee.

Aug. de

Past. c. 8.

Matth. 7.

Actor. 18.

Temperantia est propria Christianor.

stolorum, martyrum & aliorum san-
ctorum conijciat; Ecclesiæ mores &
consuetudines ab ipsis suis incunabu-
lis, & prima origine in hunc usque di-
em consideret: Videbit ibi Abstin-
tiam à cibis, & maximè à carnibus, i-
iuna certa instituta & seruata inueni-
et: Florentem ibi coniugatorum ca-
stitatem, viduarum continentiam, in-
temeratam virginum castitatem in-
tuebitur. Humilitatem autem, clem-
tiam, mansuetudinem, modestiam ibi-
dem, tam liquidò notabit, vt mecum
conclusurus sit, Temperantiam, eique
affines virtutes omnes, ac ornamenta
solis bonis Christianis à Deo cõcedis
ideoque eos obligari ad immortales
gratias Deo agendum, & has ipsas
virtutes, ne negligentia sopitæ pere-
ant, exercendum.

*Initium
virtutum
ab humili-
tate. & Ab-
stin. su-
mendum.*

Si autem ex me quærat̃ur à quibus
initium sumendum sit? dico ab humi-
litate & abstinentia duci posse; con-
sulebant hoc primi Anachoretæ suis
discipulis, quos volebant imprimis
curam ventris negligere, & inedia
in eum decertare: seip̃os autem in
humilitate, & sui ipsius contemptu
radici-

radicitus fundare. Idem consilium sui temporis Christianis, & in eis etiam futuris omnibus, dabant Apostoli, nā Petrus ait, *Sobrii estote, & vigilate;* 1. Pet. 5. Paulus autem, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ideoque primum mandatum primis parentibus iniunctum, vt notauit Ambros. fuit præceptū ab-
stinentiæ: Hæc ergo exercenda, vt cōseruetur castitas, fugetur luxuria, & omne genus vitiorum excludatur; omnium verò virtutum ordinata acies introducatur, Dixit de Onagro Iob
cōtemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. quem locum explicans B. Gregorius ait, *Nonnulli hic per exactorem ventrem intelligi volunt:* Abstinentes ergò viri, dum violenta gula desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contem-
nunt: Sed cum continenti viro contra innumera vitia, multa virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore contempto, de solo hic ventre dicitur, quod eius imperium, impulsuque restringat? nisi quod nullus palmam spiritualis certaminis apprehendat, qui non in semetipso prius per-

Iob 39.

Gregor. in
comm. loci

affli-

afflictam ventris concupiscentiam, carnis
 incentiva deuicerit? Neque enim ad con-
 flictum spiritualis agonis assurgitur, si non
 prius intra nosmetipsos hostis positus, gula
 & appetitus edometur: Incassum enim
 contra exteriores inimicos in campo bel-
 lum geritur, si intra ipsius urbis menia
 ciuis insidians habetur. Vnde de Nabu-
 chodonosore victore scribitur, quod per
 Nabuzardan, id est, principem cocorum
 murum destruxit Ierusalem: Quid enim
 per muros Ierusalem significans scriptu-
 ra exprimit, nisi virtutes anime, que ad
 pacis visionem tendit? aut quis cocorum
 princeps, nisi venter accipitur, cui dilige-
 tissima à coquentibus cura seruitur? Mu-
 ros igitur Ierusalem princeps cocorū de-
 struit, quia virtutes, dum non restringi-
 tur venter, perdit. Huc vsque Gregor.
 Oportet itaque ventrem reprimere,
 eius assultus & stratagemata nosse, ac
 contrarijs machinis repellere: Ante
 tempus cum Ionatha cibos appetit?
 statutam horam expectet: cum Israe-
 litis carnes in deserto & deliciores
 cibos querit? rudioribus contētus sit,
 lautiores denegentur: cum filijs Heli-
 curiosè conditos desiderat? simplici

4 Reg. 25.

1. Reg. 14.

Num. 11.

1. Reg. 2.

ap-

apparatu cocti apponantur: Panis & omnium abundantiam cum Sodomitibus, & Gomorreis exoptat? detur ei in mensura: Denique multi cibi est, & cū Esau etiam rudem pultem auidè vorat? discat instar hominis, non lupi moderatè comedere. Atque ita Gulā refranare oportet, ne vitia eam consequentia pullulent, ac virtutes tāquā infelix lolium fruges exstirpent, & opprimant. Humilitatem autem vel ideò ante omnia exercere oportet, quod sit mater Mansuetudinis, & Clementiā: & vt verbo dicam fundamentum omnis virtutis; nā vt bene inquit August. *Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? incipe à fundamento humilitatis.*

August.
Ser. 10. de
Verb. Domini.

Ostendimus Gulam plurima vitia generare, virtutes autem maximas exstirpare; idem, licet diuersa ratione, de Superbia dicere licebit; Gula enim animam infra suam dignitatem prosternens; Superbia autem ultra suum meritum eleuans, virtutes destruit. Est autem Superbia quidam inordinatus, appetitus propriæ excel-

De Superbia.

Excellentia, quo quis sibi, suisque
 ritis tribuit, quod à Deo accepit; quod
 se talem qualis non est præsumit; quod
 scire, aut posse, quod neque scit, neque
 potest sibi arrogat; Denique quod no-
 liores se vituperat. Verum huic nobis
 quærendus est cuneus, contra Super-
 biam Humilitatem exerceamus, abse-
 vlla dissimulatione confiteamur et
 nobis nos nihil esse, aut posse, omneque
 nostrum bonum & donum descende-
 re à patre luminum; proprijs nostris
 viribus ac industria diffidamus; coram
 Deo omnibus nos inferiores æstima-
 mus. His exercitijs solidum fundamē-
 to spirituali nostra ædificio iaciemus,
 auferentes superbiam, quæ omnis
 structuræ spiritualis impedimentum
 est: Qui hoc fundamentum non iacit
 in vanum ædificando laborat; nam
 absq; humilitate, nulla virtus solide
 obtinetur, conservaturque. Si multi
 præteriti temporis virtuosi homines
 suam humilitatem custodiissent,
 nunquam à gradu sanctitatis ad quem
 conscenderant excidissent. Vnde S.
 Gregorius docet, Qui sine humilitate
 virtutes colligit, idem facit ac qui colle-

*De Humi-
 litate.*

Jacob, 1.

*Motiva
 Humilita-
 tis.*

collectos cineres vento exponit, sicut enim ventus cineres dispergit, ita superbix typhus virtutes dissipat. *Es* hæc quidem consideratio plurimum nos ad exercitium humilitatis excitat, verum præter hanc, nominis Christiani professio, & studium Deo placendi nos cogunt, nam si Christiani sumus, Christo conformari debemus, qui specialiter humilitatem professus est, & ad eandem imitandam nos inuitat dicens, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* *Matt. 23.* Studium autem Deo placendi in omnibus, in quibus possumus, ostendere tenemur, nihil autem est in quo magis reluceat, quam si nosmetipsos coram illo humiliemus, hoc enim facientes, ordinem qui ei summè placet, integrum & sine turbatione seruabimus. *Exercitia* Diligenter itaque hanc virtutem *Temperã-* exequamur, appetitum immoderatum *tia.* propriæ excellentiæ temperemus, omnem vanitatem fugiamus, sub potenti manu Dei nos humiliemus, nobis inuicem humilitatem infinuemus, quia *DEVS superbis resistit,* *1 Pet 5.*
humili-

humilibus autem dat gratiam. Intemperantiam bellum inferamus, Temperantiam verò excolamus, præfatam instructionem sequamur, & breui ad eius ac sociarum perfectionem peruenimus.

*Epilogus
de 4. virt.
card.*

Vidistis itaque virtutum moralium breuem, quam promiseram, descriptionem; earum nobilitatem, fructus, & diuinos effectus, quos in anima Christiana causant, vidistis. Iustitia suum cuique tribuit, ac ita pacem & tranquillitatem inter homines conseruat. Fortitudo mediam se inter timiditatem & temeritatem sistit, ac rationis rectæ directionem secuta, res quamuis difficiles suscipit, & supportat. Temperantia brutales affectus compefcit, & rationem præualere facit. Prudentia autem totum moderatur, ne quicquam sine debitis circumstantijs peragatur. Digna sanè consideratio, quæ nos ad eò efficaciter gratiæ abundantiam desiderare cogit, vt tandem virtutes altioris gradus consequamur; Deus enim, aut multum, aut parum gratiæ iuxta dispositionem suscipientis confert; Hinc Deus apud

Pro-

Prophetam ait, *Dilata os tuum & im-* *Psalm. 80.*
plebo illud. Quidam contristantur,
 quod licet frequenter Ecclesiastica sa-
 cramenta iterent: tamen imperfecti
 maneant, & causam mali non aduer-
 tunt: licet enim sacramenta infallibi-
 liter gratiam conferant, nos tamen
 frequenter impedimenta gratiæ tol-
 lere negligimus. Qui sigillo suo ma- *Pulchra*
 gnificam imaginem ceræ vult impri- *similitudo.*
 mere, prius eam mollem reddit, ac ig-
 ni applicat: ita qui desiderat, vt sacra-
 menta in anima sua profundè gratiã,
 & virtutes immittant, debet eam fer-
 uenti charitate calefacere, deuotione
 & vehementi proficiendi desiderio e-
 mollire: Atque ita se disponunt boni
 Christiani, cum sacramenta suscipiunt,
 ideoque Deus interius eis virtutes ha-
 bituales infundit, & exterius interi-
 usque multis specialibus gratiæ auxi-
 lijs assistit. Vnusquisque ergo vehe-
 mens desiderium proficiendi in se ex-
 citet, & experietur Deum infusioni
 donorum supernaturalium non dees-
 se; verum vltius dona Spiritus S. de
 quibus nunc agendum venit, collatu-
 rum.

CA.